

Ya
42

VII, 37. a

2, 626.





VII, 37



Q. D. B. V.
ANTIQVITATES
ALSTETENSES
 ET
PALATINATVS SAXONICI

PRÆSIDE
CASPARE SAGITTARIO D.
 HIST. PROF. P.

Publico examini exponet

D. Decembr.

GODOFREDVS Stockmann /

Bavaro - Numb. Thur.

JENÆ
 LITERIS JOHANN. ZACH. NISIL
 A. MDCCCLXXVII.

SERV.



*SERENISSIMIS PRINCIPIBVS
AC DOMINIS*

**DN. WILHELMO ERNESTO
DVCI SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ
ET MONTIVM, LANDGRAVIO THVRINGIÆ,
MARCKGRAVIO MISNIÆ, PRINCIPI COMITATVS HENNE-
BERGICI, COMITI MARCÆ ET RAVENSBVRGI
DYNASTÆ IN RAVENSTEIN**

ET

**DN. JOHANNI WILHELMO
ITIDEM DVCI SAXONIÆ, JULIACI,
CLIVIÆ ET MONTIVM, LANDGRAVIO
THVRINGIÆ, MARCKGRAVIO MISNIÆ, PRINCIPI COMI-
TATVS HENNEBERGICI, COMITI MARCÆ ET
RAVENSBVRGI, DYNASTÆ IN
RAVENSTEIN**

*PRINCIPIBVS AC DOMINIS
MEIS CLEMENTISSIMIS.*

SERE-





SERENISSIMI DVCES,

DOMINI CLEMENTISSIMI.

A Nemine in his terris
plus tutelæ ac præsi-
dii, quam a VOBIS,
sperare potest præsens disserta-
tio. Sceptra enim & governa-
cula tenetis illius terræ, cuius
pristinus splendor hîc quodam-
modo ab oblivione vindicatur.
Quid

O
Æ
Æ,

O
I,
O
MI-

IS

ERE-

Quid igitur mihi prius esse de-
bebat, quam ad SEREN. SEREN.
V.V. CELS. CELS. pedes eandem
humilimè deponere? Sic enim
certissima spes me fovet, fore, ut
illa aliquibus saltem gratiæ ra-
diis haud prorsus indigna exi-
stimetur; imò potius clementio-
ri aspectu affectuq; mecum frua-
tur, qui moriar

SEREN. SEREN. V. V.


CELS. CELS.

JENÆ, VI. Cal. Decemb.

M DC LXXXVII.

devotissimè subjectus

GODOFREDVS STOCKMANN.



I.

ALSTETI nomen in scripturis veteribus diversimode scriptum reperitur.

DRæter vulgata ALSTED & ALSTET, reperias ALESTED, ALTSTET, ALATSTEDE, ALISTEDE, & ALSTIDI. Extremo hoc nomine semper usus est Ditmarus Episcopus Mersburgensis, in *Chronico* sæpius infra a nobis laudando. Jam nobilis hic scriptor, sive pro sæculi, sive pro singulari scriptionis suæ genio, consuevit varia pagorum, insularum, urbium, ac villarum nomina in literam i finire: ex quibus succurrunt: *Bichini, Bichlingi* (Weichling) *Bigni, Borintizi, Bucitbi, Copbelenzi* (Cobolenz) *Cottili, Crusni* (Crosen) *Dalvini, Dibni* (Dieben) *Helpithi, Lipzi* (Leipzig) *Luibanici, Luibni, Luzizi, Mezerici, Misni* (Meißen) *Morezini, Mucherini, Olsciuzi, Palithi & Polithi, Pilisni* (Pleissen) *Posnani* (Posen) *Porci, Salbetzi, Sazi* (Sax) *Scudici* (Skeuditz) *Selpuli, Sclancifordi, Sveinfordi* (Schweinfurt) *Thriburi, Wallibiki & Wallibizi* (Walpke) *Wimari* (Weimar) *Wiribeni & Wiribini* (Werben) *Wissegradi*. Quam maxime autem huc faciunt apud eundem Ditmarum *Elerstidi, Halberstidi, Helmestidi, Nuistidi, Wolmerstidi*: quæ quidem esse Ellerstet / Halberstadt / Helmstet / Neustadt / Wolmersted / nemo non videt. An Alstetum nostrum ævo Carolino ALAGASTAT

A

vel

vel HALAXSTAT sit dictum, mox ostendemus. Quod ELISTA ex *Alstedio* forte sit corruptum, de eo conjecturas nostras suo quoque loco afferemus.

II. ALSTETVM unde nomen suum acceperit, nondum satis arbitror constare. Non plane tamen nobis videtur improbabile, designare *stationem omnium*.

Compositum *Alstedi* nomen esse, pauci forte negaverint. Licet enim dixeris, antiquissimum nomen esse *Alst* / atque adeo monosyllabum; (qualia sunt pleraque, si non omnia vernaculæ nostræ primitiva:) repugnabit tamen constans bisyllaba scriptio, & a tot sæculis in præsens ævum derivata pronunciatio. Sed quid sibi velit *Alstedi* nomen, quis aperiet? Pro *antiquiori loco* depugnaremus, nisi antiqua dialecto Thuringica atque Saxonica *old* pro *alt* obtinuisset: cujus vocolæ per universam inferiorem Saxoniam superstitis vestigia deprehendimus in *Oldenborg* / *Oldenloster* / *Oldenstadt* / & similibus. A *statione angvillarum* in lacubus *Alsteto* proximis, hoc oppidum nomen accepisse *Alstet* / si quis affirmaverit, per me licebit. Forte tamen aliqui faverint nostræ conjecturæ, *ALSTETVM*, *sedem* significare *omnium*, eo scilicet tanquam ad asylum quoddam confugientium sive indigenarum, sive etiam externorum. Perinde enim hic se res haberet, ac cum *Alemannicæ* gentis vocabulo, quod ex confluxu *omnium* sive variorum *virorum* natum, etiam doctissimis videtur.

III. ALSTETI situs quondam septentrionali Thuringiæ adscriptus, jam a sexto sæculo Saxoniam computari cœpit.

Thu-

Thuringiæ fines ante sextum a nato CHRISTO sæ-
culum latisime patuerunt, ac, ut cetera taceam, bonam
Saxoniam tam superioris quam inferioris partem complexi
sunt. At postquam anno laudati sæculi XXIV. Herminfri-
dus Thuringorum Rex sociis Saxonum armis a Theodo-
rico Francorum Rege devictus, omne illud terrarum spa-
tium, quod ultra Vnstrutum fluvium in Thuringiæ Re-
gum fuerat manibus, pro fortiter æque ac feliciter navata
in hoc bello opera, Saxonicae accessit ditioni. Quia igitur
Alsteto supra Vnstrutum locus est, quomocunque etiam
hujus oppidi solum tum temporis comparatum, non am-
plius Thuringiæ veteri, sed Saxoniam fuit adscriptum: sic
tamen ut *Septentrionalis*, sive *Nort-Thuringia* nomen per
aliquot sæcula, & fere ad XII. usque, duraverit.

IV. Saxonia per Carolum M. devicta, solum Al-
stetense Francorum Regum sceptrum venera-
ri cœpit. An autem ALSTETVM jam hoc
ipso ævo inter Saxonicas mercimoniis & stapu-
læ, ut vocant, juribus ac privilegiis florentes ur-
bes, fuerit numerata, controversia non caret.

Vulgi quidem traditione, nec non quibusdam scri-
ptis circumfertur, Alsterum nobilem olim ejusmodi fuisse
urbem, eine Sächsische Stapel- und Lage-Stadt. Atque
hæc sententia, nisi totus fallor, innititur unicæ voci HA-
LAXSTAD, quæ apud Ansegisum *lib. III. Capitularium*
cap. VI. comparet: pro qua *lib. VI. cap. CCLXXIII.* scribi-
tur ALAGASTAT. Vtrumque locum adscribemus. Prior
ita habet. *De negotiatoribus, qui partibus Sclavorum &*
Avarorum pergunt, quousq; procedere cum suis negotiis de-
beant, id est, partibus Saxonia usq; ad Bardenwicz, & ad

Magadoburg, & ad Erpesfurd, & ad HALAXSTAD, & ad
Foracheim, & ad Breemberg, & ad Reginisburc, & ad Lau-
riacum. Alter his verbis conceptus est: -- Partibus Saxo-
nie usq; ad Bardenuwic, ubi praevideat Herti, & ad Ceslic,
ubi Madelgandus praevideat, & ad Magadeburc praevideat
Atto, ad Herpesfur praevideat Madalgaudus, & ad ALA-
GASTAT, similiter ad Forachem &c. Jam dicunt nonnul-
li Halaxstad, sive Alagastat, non aliam esse urbem, quam
Alstetum: cujus nomen paulo plenius ac durius quondam
fuerit enunciatum. Verum primo hic monendum, quod
apud Goldastum in Constitutionibus Imperialibus nec Ha-
laxstad, nec Alagastat, sed Alvestat reperitur: ut, si huic
lectioni standum, potius Halberstadii nomen ibi latere vi-
deatur. Deinde annotandum, in codice Lindenbrogiano,
haberi Ascbzela: quod magis adhuc ab Alstedio abit. Ad-
haec singulariter observandum, quod in ipsis, quae super-
sunt Caroli Magni Capitularibus, ex quibus tamen reli-
qui sua hauserunt, nullum plane hujus nominis oppi-
dum recenseatur. Id ut pateat clarius, ipsa afferam
Capitularium verba. Capitulari I. anni 1000. tit.
VII. haec legas: De negotiatoribus, qui partibus Scla-
vorum & Avarorum pergunt, quousque procedere cum
suis negotiis debeant, id est, partibus Saxonia usq; ad
Bardenwicz, ubi praevideat Hredi; & ad Schesla, ubi prae-
videat Madalgoz. Ad Magadoburg praevideat Hatto. Ad
Erpifurt praevideat Madalgaudus. Ad Foracheim, ad
Breemberg, & ad Ragenisburg Audulfus, & ad Lauria-
cum Warnarius. Et Capitulari III. anni 1000. tit. IX.
De negotiatoribus — id est partibus Saxonia usq; ad Bar-
denwicz, ubi praevideat Hredi; & ad Schesla, ubi prae-
videat Madalgoz. Ad Magadoburg praevideat Atto. Ad Er-
pifurt praevideat Madalgoz. Ad Forcheim, ad Briamberg
Odulf.

*Odulf. Et ad Reginisburg Odulf. Ad Loricum Warina-
rius. Quæ cum ita se habeant, judicet lector benevolus,
an quidquam certi pro Alsteto nostro, quod ad hanc præ-
rogativam attinet, possit exsculpi.*

V. Certior est gloria ALSTETI, quod jam a sæ-
culo nono Palatina fuerit civitas: hoc est, in qua
ipsi Reges Germaniæ ac Impp. Romani pala-
tium habuere, ac in eodem tum jura dixere,
tum alia magni momenti negotia expedivere.

De Palantiis s. Palatinis civitatibus Speculum Saxonicum
ita: *Quinq; civitates, quæ Palantia dicuntur, in Saxonia inve-
niuntur, in quib; Rex legitime debet curiis præesse. Prima di-
citur Grona: Werlitz secunda, quæ modo in Goslariam trans-
lata est: Walhausentertia: ALSTEDE quarta: quinta Mer-
seburg nominatur. Jam meum non est, de singulis illis Sa-
xonie civitatibus Palatinis agere: suffecerit ostendisse,
quod in iis locum habuerit ALSTETVM. At non imme-
rito hic aliquis objecerit, testimoniis ad hanc rem anti-
quioribus esse opus: quod Epko de Repkau, Saxonici illius
Speculi collector demum circa XII. ac XIII. sæculorum
confinia vixerit. Videatur Petrus Heigius parte I. Qua-
stion. VIII. n. XLVIII. & seqq. & Conringius de Origine
Juris Germanici cap. XXX. Imo Benjamin Leuberus in
Epistola quadam Disquisitioni suæ de Stapula Magdebur-
gensi præmissa, multo adhuc recentiore credit Epkonem.
Verum quomocunque comparata fuerit Repkovii ætas;
id nemo temere negaverit, longe plurima ipsum a majo-
ribus accepta Speculo suo inseruisse. Sic enim ipse in proæ-
mio Germanico:*

*Dieses Recht hab ich selber nicht erdacht/
Es habens von Alters auf uns bracht*

U 3

Unser

Unser gute Vorfahren/
Nach ich auch ich wilß bewahren/
Daß mein Schatz unter die Erde
Mit mir nicht begraben werde.

Et si vel maxime Speculum Saxonicum hoc tacuisset, eloquerentur tamen tot Regum ac Imperatorum diplomata, exceptione omni majora, nec minus testarentur insignia quædam antiquorum scriptorum dicta: quæ quidem nunc una cum nonnullis aliis ad Antiquitates Alstetenses pertinentibus juxta annorum seriem afferemus. Facile quidem credimus, plures ac vetustiores in sacris scriniis superesse scripturas Alsteti nostri memoriam servantes: verum quia nonnisi comperta nobis tradere animus est, ab Ottone II. auspicabimur.

973. VI. Anno DCCCCLXXIII. Otto II. Imperator ALSTETI agens, permutationem bonorum quorundam inter Adelbertum Archiepiscopum Magdeburgensem, & Werinharium Abbatem Fuldensem, jam vivo Patre Ottone I. institutam, sua auctoritate confirmat.

In calce diplomatis hæc habentur: *Et ut hæc auctoritatis nostræ confirmatio utriq; parti firma & stabilis permaneat, hanc concambii cartam conscribi, & annuli nostri impressione signari jussimus, quam & manu propria subscriptus firmavimus.* — Datum XI. Kal. Novembr. anno dominicæ incarnationis DCCCCLXXIII. Indict. II. anno regni minoris Ottonis invictissimi Imperatoris Augusti XIII. Imperii VI. Actum ALSTEDII feliciter in Dei nomine. AMEN.

VII. An.

VII. Anno 1000. ALSTETI idem Ot- 975.
ro Imp. Ecclesiæ Magdeburgensi attribuit de-
cimas censuum, quas diversæ gentes Slavicæ
Imperatori debebant persolvere.

Initium diplomatis: *Otto divina concedente clemen-
tia Imperator Augustus. Clausula: Dat. V. Id. Sept. anno
dominicæ Incarnat. DCCCCLXXV. Indiçt. III. anno vero
regni Domini Ottonis XV. Imperii autem VIII. Actum,
ALSTETE.*

VIII. An. 1000. Gisilarius Archiepisco- 985.
pus Magdeburgensis ab Ottone III. Rege con-
firmationem omnium privilegiorum ac dona-
tionum Magdeburgensium impetravit AL-
STETI.

Diploma sic incipit: *Otto divina favente clementia
Rex. Ac ita finit: Dat. XVI. Kalend. Martii, anno Domi-
nicæ Incarnat. DCCCCLXXXV. Indiçt. XIII. anno vero re-
gni tertii Ottonis secundo. Actum ALATSTEDÉ in Dei nomi-
ne feliciter, Amen.* Et sic quidem in MS. quodam habetur.
Sed ALESTEDI excusum est in Viri Summi, Henrici Mei-
bomii Tomo II. *Scriptorum Rerum Germanicarum* pag. 376.

IX. Cum ab excessu Ottonis III. Eccardus I. 1002.
Marchio Misniæ ac Dux Thuringiæ, regno
Germaniæ inhians, multas Thuringiæ ac Saxo-
niæ munitas occuparet urbes, ALSTETVM
una cum Mersburgo ac Dornburgo, Henrico II.
servavit Esico Comes.

Ditmarus Mersburgensis lib. V. *Inde (Henricus II.)
Mersburg veniens, susceptus est ab Heimone Abbate, &
a fr.*

a fideli suimet Comite Esicone, qui hanc urbem, & ALSTIDI ac Thornburg cum appertinentiis, vivente Ekkihardo, hacq; graviter ferente, viriliter usq; in presentiam optati Senioris (Henrici II.) servavit.

1003. X. Anno CIOIII. ALSTETI Henricus II. Arnulpho Halberstadiensi Episcopo, ejusq; majori Ecclesiae tradit civitatem Ilfinaburgensem (Ilfenburg) quæ tum sita in pago Hardegow, in Comitatu Riechperti.

Diploma huc faciens repræsentavit Joachimus Johannes Maderus in Appendice secundæ editionis *Antiquitatum Brunswicensium* num. VII. In ejus calce ista legas: *Data XVII. Cal. Maji Anno Dominicæ incarnationis millesimo tertio, Indictione prima, Anno vero Domini Henrici Regis primo. Actum Altstæde.*

Hic autem non possum non indicare, quod in Wilhelmi Hedæ *Historia Episcoporum Vitrajectinorum* ab Arnolfo Buchelio Ic. edita, pag. C. & sequenti, duo Henrici II. habeantur diplomata, hoc ipso anno CIOIII. (nam in altero, ubi CIOXIII. excusum, sphalma manifestum est) *Elistæ* data: quod nominis fortean ex *Alsted* corruptum. Si quis tamen rectiora nos docuerit, non difficulter conjecturam nostram abdicabimus.

1008. XI. Anno CIOVIII. Ditmarus ex Præposito Walbecensi Episcopus Mersburgensis ab Henrico II. renunciatus, a Tagmone Archiepiscopo Magdeburgensi ALSTETI presbyter ordinatus est.

Ipsè Ditmarus lib. VI. *Ad percipiendum presbyteratus ordinem ad ALSTIDI civitatem a Domino Tagmone*

VUCA-

vocabar. -- Presbeyteri vero dignitatem XII. Cal. Januarii
a prefato Archiepiscopo, presente Henrico Rege, & casu-
lam mihi optimam largiente, indignus percepi.

XII. Anno CIOXIII. Henricus II. ALSTETI ^{1013.}
Epiphaniam Domini celebravit, ac ibidem
Boleslai Poloniae Ducis legatos pacem expe-
tentes audivit.

Ditmarus lib. VI. Interea Rex de ALSTIDI disce-
dens, ubi Epiphaniam Domini celebravit, & Bolizlavi nun-
cios pacem poscentes, & confirmationem cum Misecone ejus-
dem filio fieri promittentes audivit, ad Merseburg venit.

XIII. Anno CIOXIV. Henricus II. post raptum ^{1014.}
Reinhildae Comitis Beichlingensis a Wirinha-
rio Comite Walbeccensi factum, comitia AL-
STETI celebrans, rebus juredicialibus potis-
simum occupatus fuit.

Raptum illum, ac quid cum Wirinhario Comite ca-
pto, ac ex vulneribus mortuo actum, prolixè describit Dit-
marus lib. VII. In his primo publici conventus Alsteti ce-
lebrandi, postea Henrici ibidem jura dicentis meminit.
Frater meus, inquit, Comes Henricus hæc ad implenda illi-
co mittitur, & ut ad ALSTIDI ad publicum venirent col-
loquium, jubetur. -- Interim Caesar in ALSTIDI populis
jura dabat, & ut presentes affirmabant, meis hoc amicis
denegabat. -- Inde exiens Natalem Dominicum in Polithi
coluit.

XIV. Anno CIOXVI. Henricus II. festum Epi. ^{1016.}
phanias Domini ALSTETI celebravit: ac
B mox

mox ibidem diutius subsistens, in publicis comitiis varia Principum litigia composuit.

Ditmarus lib. VII. *Anno Dominicæ incarnationis* (in editione Maderi omissus est annus: sed facile liquet, annum esse CIOXVI.) *Imperator a Palatbi, ubi celebravit Natale Domini, exiens, in ALSTIDI Epiphaniam Domini solenniter peregit. -- Fit publicus Principum in ALSTIDI conventus: inter Bernbardum Marchionem & patru mei-met filios litigium cum emendatione sibi accepta, & juramentum pacificatum est. Inter Thiedricum Antistitem & Herimannum Comitem inimicitia diu exorta, & odium, quod erat inter Eggibardum & confratres Vdonis filios senioris, ab Imperatore sedatum est. Ibi etiam promisit Geroni Archiepiscopo (Magdeburgensi) Bernbardus Marchio D. argenti talenta pro damni recompensatione illati. Optima quoque Imperator ibi diu conversatus, fecit. Fit pax inter Gevebardum & Willebelmum comites. Nuncii de Italia huc venientes gratulabundi ad sua redeunt. Iter Imperatoris ad occidentem dispositum, ob via asperitatem est dilatatum. Imperator hoc, quod ex parte Bolizlavi rogatus, laudat, convenisse ad eum Principes suos, & si quid boni vellet sibi exhibere, cum eorum consilio libenter acciperet. Mittuntur invicem nuncii & inducia ponuntur. Atque hæc omnia Alstedii gesta sunt. Exin Mersburgum abiisse Cæsarem, testatur Ditmarus.*

1017. XV. Anno CIOXVII. Henricus II. Mersburgo ALSTETVM digressus, ibidem festum omnium sanctorum celebravit, ac postea in sextam hebdomadam illic commoratus est.

Dit-

Ditmarus lib. VII. *Imperator a nobis exiens, inde ad ALSTIDI venit, ibiq; omnium memoriam sanctorum digna veneratione celebravit: Et tunc in eodem die Hardingus nova civitatis ab Imperatore ibidem constitutus Abbas a Gerone Archiepiscopo consecratur. Omitto quæ sequuntur de liberalitate Imperatoris in Ecclesiam Mersburgensem. Quibus tandem hæc subjicit: Sed cum in prædicta civitate Caesar V. hebdomadas Et IV. dies sederet, dilectum sibi locum Bavenberg visitat.*

XVI. Anno CIOXXIII. Henricus II. Imperator 1023.
valetudini suæ consulturus, Bambergæ discedens, ALSTETVM pervenit circa Dominicam Palmarum diem: & hinc Merseburgi diem Viridium celebravit.

MS. Chronicon Saxonicum a Christophoro Brovvero, doctissimo Jesuita, in scholiis ad *Vitam Meinwer-*ci Episcopi Paderbornensis, laudatum: *Caesar diversis doloribus vexatus, eodem loco (Bambergæ) crebra infirmitate diuturnas protraxit moras, resumtisq; demum viribus, citato cursu Parthenopolin (Magdeburgnm) ire proposuit. Tandem post longam deliberationem laboriosi itineris, diem Palmarum in loco, qui dicitur ALISTEDE, festive celebravit. Die vero Reconciliationis, exigente infirmitatis gravitudine, remota a se, quæ convenerat, multitudo, paucis comitantibus Merseburg Cœnam Dominicam peregit.*

XVII. Anno CIOXXXI. Henricus III. ALSTE- 1031.
TVM profectus, comitem inter alios habuit Meinwercum Episcopum Paderbornensem.

Auctor Vitæ Meinverci cap. CVI. *Vbiq; ergo fidus & individuus Comes Imperatori Episcopus existens, proximo anno (is est, quem in thesi expressimus) secum ALI-STEDE venit.*

1062. XVIIII. Anno CIOCLXII. Henricus IV. Rex ALSTETI fuit, ac ibidem Adelberto Hamburgensi Archiepiscopo prædium Liestmonam cum nonnullis aliis bonis tradidit.

Traditionis diploma exstat in Erpoldi Lindenbrogii *Syntagmate Rerum Septentrionalium*, inter privilegia Archiecclesiæ Hamburgensis: ut & in *Veterum aliquot Diplomatum* ad M. Adami Bremensis Historiam Ecclesiasticam illustrandam *Sylloge*, in editione Helmstadiensi Maderi, num. XXI. ac meminit porro ejus Petrus Lambecius in *Chronologia & Auctario lib. I. Rerum Hamburgensium libro II. junctis pag. 579.* Hanc autem habet clausulam: *Data est V. Kal. Julii, anno Dominicæ Incarnationis M. LXII. Indictione I. Anno autem ordinationis Domini Henrici IV. Regis VIII. regni vero VI. Actum ALSTEDII in Dei nomine feliciter, Amen.*

1134. XIX. Anno CIOCCXXXIV. cum Adelheida Volckmari Comitis Clettenbergici uxor, noviter a se fundato monasterio Walckenriedensi prædium villæ Berbisleben donaret, hoc donum Lotharius Imp. non confirmavit modo, sed & de suo auxit ALSTETI.

Diploma hujus confirmationis affert Henricus Eckstörmius in *Chronico Walckenriedensi.* Verba ejus quædam
dam

dam subjicio. *Lotharius divina favente clementia III. Romanorum Imperator semper Augustus. Notum esse volumus, qualiter Adelbeida fundatrix Ecclesie, quæ est Walckenritb, ad sustentationem fratrum Domino ibidem servantium prædium quoddam situm in villa Berbisleve ab Eckbardo de Almundesleve L. talentis comparavit, cujus prædii delegationem sive donationem, quia de regno fuit, regali confirmantes autoritate, rogante consorte nostra Ricbniza Imperatrice, quedam huic donationi adminicula adjecimus in eadem villa duos videlicet lucos. --- Data anno incarnationis Domini M. C. XXXIV. Indictione XI. X. Aprilis, anno vero regni Regis Lotharii IX. Imperii primo. Actum ALSTETI feliciter in Christi nomine! Amen.*

XX. Anno CIOCLXXXVIII. Fridericus I. Imp. 1188.
monasterii Walckenriedensis privilegia confirmavit & auxit ALSTETI.

Testis est Eckstormius in laudato *Chronico Walckenriedensi.*

XXI. Ex his facile liquet, cur ALSTETVM Palatina dicta fuerit civitas. Verum quia loco Regum ac Imperatorum Palatini Saxonie Comites in Saxonia jura dixerunt, credibile est admodum, id cum alibi, tum potissimum ALSTETI ab eis factum esse.

Palatinorum Comitum præcipuum fuisse officium loco Imperatoris jus dicere; non est quod hic probemus: cum præsertim id in doctissimis *Originibus Palatinis*, Marquardus Freherus, & in limatissima *Exercitatione de Co-*

mitibus Palatinis Cesareis, Excell. Noster Schubartus præstiterint. Jam quia Palatinus Comes id fere faciebat in palatio Regum ac Imperatorum, ac in illis palatiis nobile nomen habuit Alstetum nostrum; recte nos puto colligere, Palatinos Saxoniam heic loci jura dixisse, atque adeo ordinarium quasi tribunal habuisse.

XXII. Jam de ortu Palatinorum Saxoniam Comitum si quæras, fortean ad Carolingica is referendus erit tempora: sic tamen ut Ottonum ævo inclaruerit magis, atque exin certis adscriptus fuerit familiis.

Ex quo Caroli M. armis devicta Saxonia, dubium non est, quin in multis ad modum regiminis Francici ea fuerit conformata, ac belli cura Ducibus, judiciorum Comitibus commissa. In his primarius erat Palatinus, primo quidem unus: sed quod cum tempore horum plures, ac nonnulli in certis constituerentur provinciis, non adeo abludit a vero, Palatinum Saxonicum Carolingicis temporibus natum. An vero *Albion*, individuus Wittikindi socius, ac cum eodem Attiniaci sacris Christianis imbutus, primus horum fuerit, (id quod in mentem venit Petro Albino de Wittikindea familia commentanti) non ausim asserere. Cum novo tamen Henrici Aucupis ac Ottonum Saxoniam suam studentium imperio hæc dignitas sive aliquamdiu omissa, sive a scriptoribus neglecta, invaluit: sic quidem, ut S. Bernwardi Episcopi Hildesien-sis maternus avus ATHALBERO, primus forte fuerit, cui post tempora Francorum Regum ea dignitas commissa. Sic autem Tangmarus initio vitæ S. Bernwardi: *Ortus est egregie indolis puer Bernwardus claro nostræ gen-*

gentis sanguine ex filia Athelberonis Palatini Comitis. Ac
postea: Avus quippe ejus Athelbero Palatinus Comes vir
plurima virtutum laude insignis, qui commissa praefectura
exactionem magis ex debito, quam ex intentione gerebat,
cum prole utriusque sexus felicissime abundaret, hunc
praecclarum adolescentem primis auspiciis rubescentis deco-
ris florentem in affectum filii adoptavit.

XXIII. In his familiis prima traditur GOZECEN-
SIS: nisi forte per Sommerschenburgios Co-
mites haec Palatina dignitas ad Gozecenses per-
venit.

Hanc conjecturam debeo laudati Tangmari *vita S.
Bernvardi*. Illa enim, ceu paulo ante dixi, Athelberonem
Bernvardi avum maternum, facit Comitem Palatinum.
Cum igitur ista aetate nondum haec dignitates ad filios
semper transmitterentur, fieri potuit, ut vel Tammo
Bernvardi frater, quem Tangmarus ad calcem historiae
celebrat Comitem Sommerschenburgensem, vel quis-
quam alius ea familia oriundus Palatinus Saxoniae renun-
ciaretur: donec ad Gozezensem familiam Palatinatus
transiret. Tum vero post Athelberonem, ante Gozecen-
ses, alios Saxoniae Palatinos floruisse necessum est: cum
isti demum Henrici III. & IV. aetate hanc dignitatem sint
indepti. Memorat quidem Ditmarus *lib. IV.* Ditericum,
& Sigfridum, ut & Fridericum, ac alios quoque Comites
Palatinos: sed qua stirpe fuerint orti, & an soli fuerint
Saxonici, vix ex hoc scriptore exsculpsit.

XXIV. Primus inter Gozecenses DEDO, Fri-
derici I. & Agnetis Vinariensis filius, Adel-
berti Archiepiscopi Bremensis, & Friderici II.
frater

frater, ab Henrico III. hac dignitate auctus,
anno CIOXL. anno CIOXVI. a clerico quodam
fuit occisus.

De Parentibus DEDONIS ita Auctor libri *de fundatione monasterii Gozecensis*: Comes Fridericus, fama referente hujus nominis primus, de nobilissima antiquorum Saxonum & Francorum prosapia originem ducens, nobilitatis gradu non inferiorem Dominam Agnam procerum de *Wimare* filiam sibi in conjugio sociavit: ex qua praedictos tres fratres (Adelbertum, Dedonem, & Fridericum) genuit. Auctorem hunc exscribit Paulus Langius in *Chronico Citizenensi*. Sed quinam illi *Proceres de Wimar*? Wilhelmi Comitis, qui Ottonis III. ac Henrici II. aeo floruit, posteros esse existimo, unde prodierunt Comites Orlamundani. Appendix Chronici Montis-Sereni eam facit Dedonis II. Misniae Marchionis filiam, ex Oda Orlamundana (Wilhelmi, ut puto, vidua) matre Ottonis Marchionis Thuringiae natam. *Adelberti* Archiepiscopi gesta imprimis debemus M. Adamo Canonico Bremensi & Alberto Stadeni. Quod DEDO primus ex hac stirpe fuerit Palatinus, clare docet laudatus Auctor Gozecensis: *In expeditione Hungarica, inquit, per Regem Henricum in anno incarnationis Domini 1040. facta, quia cunctis virtute militari se prae tulit, primus stirpis suae monarchiam palatii promeruit.* De caede ejus idem: *Anno incarnationis Domini MLIII. Non. Maji, Dedo Comes Palatinus apud pagum Polethe a quodam clerico, quem ob crimina sibi objecta a fratre suo Bremensi Episcopo custodiendum susceperat, simulato obsequio aggreditur, & in inguina dum scandit equum, occultato ense perfoditur.* Sed pro anno MLIII. rescribe MLVI. Nam ad hunc annum

num eadem refert Lambertus Schafnaburgensis, qui hac ætate vixit. Et quam facile fuit librario VI. in III. mutare. De eadem eade ita Adamus Bremensis lib. IV. cap. XVIII. *Germanus Archiepiscopi frater, scilicet Palatinus Comes, nomine Decius, a quodam suæ diocesis presbytero interfectus est, vir bonus & justus, qui nemini unquam vel ipse nocuit, vel fratrem nocere permisit.*

XXV. Dedoni legitima prole destituito successor ab Henrico IV. suffectus FRIDERICVS II. anno CIO LXIV. privilegio de mercatu¹⁰⁶⁴ & coctura salis in Sultza, ornatus est. Sed postea Henrico IV. rebellis, deditioe sponte facta, Papiam relegatus, non diu post in gratiam receptus est.

Habuit quidem Dedo filium *Fridericum*, sed incerta matre natum, qui factus est Abbas monasterii Gozecensis, & postquam a Numburgensibus electus Episcopus, refragante Henrico IV. demum Hirschfeldensis Abbas renunciatus est. *Dedone igitur defuncto* (verba sunt scriptoris Gozecensis:) *quia filium legitimum non habuit, monarchiam Palatii Dominus Fridericus germanus ejus a Rege suscepit.* Privilegium illud datum est Goslariæ III. Nonas Decembris. Præcipua ejus afferemus: *Heinricus divina favente clementia — notum esse volumus Qualiter nos ob petitionem & fidem & frequens servitium FRIDERICI Palatini Comitum in loco hereditatis suæ Sultza dicto, pago Thuringia, in comitatu autem Otthonis Marchionis sito liberum exerceri mercatum permisimus, eo jure, in omnibus scil. monetis, teloneis, omnig. regali districtu, eidem*

IIVXX
C fide-

fideli nostro in proprium tradito, quo solent & debent mercaturæ institui & donari. Insuper rogatu ejusdem Palatini Comitis, cocturam salis sibi concessimus, tertiamque partem salis ejusdem, quæ nos attigit, ob remedium animæ nostræ, instinctu quoque fidelium nostrorum ad monasterium S. Petri in prædicto loco constructum fratribusque ibidem Deo servientibus, in proprium dedimus atque tradidimus. Rebellionem Friderici, & quæ eam secuta, Auctor Gozecensis memorat: sed annus (nisi is librarii potius, quam auctoris error est) nos fallit MLV. Nam post plures annos hæc contigisse, ex Lamberto Schafnaburgensi clarum. Videatur etiam Bruno monachus de Bello Saxonico.

XXVI. Fridericus II. ex Hedvige Bavarica genuit FRIDERICVM III. Et hic quidem a Ludovico II. Thuringiæ Comite occisus est circa annum *CL* LXXV. instinctu Adelheidæ conjugis, ex qua natus posthumus FRIDERICVS IV.

Nefarii amores Adelheidæ, & cædes Friderici Palatini per omnia Thuringorum Saxonumque Chronica passim decantata sunt. Auctor tamen libelli Gozecensis percussorem non facit ipsum Ludovicum Comitem, qui postea *Salii* (*der Springer*) nomen accepit: sed Theodoricum & Vlricum Teutlebios fratres, & Reinhardum de Reinstede: de quo hic non licet dispicere. De nato posthumo idem scriptor: *Hujus luctus tempore transacto, Adelheid Palatina filium genuit, quem ex nomine Patris Fridericum appellavit.*

XXVII.

XXVII. Fridericus II. filio superstes anno
CIDLXXXVIII. in Comitatu Barbyensi mortuus 1088.
Gozecæ fuit sepultus.

Toties laudatus scriptor Gozecensis: *Anno Domini MLXXXVIII. sidus eximium occubuit, quod in illo tempore clarius huic loco Sole refulsit. Nam Dominus Palatinus vi febrium fatigatus in provincia Barboge natura solvit debitum. — Corpus ejus cum gloria magnarum exequiarum perducitur, & per Abbatem Fridericum ad sinistram partem filii sepelitur.*

XXVIII. Dum Fridericus IV. sub vitrici tutela adolescit, FRIDERICVS Comes Sommer-schenburgensis ex Vda (Oda) Friderici II. Palatini sorore genitus, Palatinatu Saxonix; is autem ex Agnete Limburgica Henrico & Friderico V. filiis augetur, ac postquam cum Ludovico vitrico in gratiam rediit, Tiggelstedii vita excedens, Halberstadii humatus est.

Auctor Gozecensis, parte II. libelli: *Comes Fridericus de Sumersenburg / licet consanguineus ejus fuerit, Palatina Comitissa, adhuc infantulum exheredavit: quam quia alio ingenio non potuit, ferro expetere disposuit, sed sano amicorum consilio ab hac intentione se abstinuit. — Palatinus quoque Fridericus Agnem Hinrici Ducis de Lintburg filiam uxorem duxit, ex qua duos filios Hinricum & Fridericum generavit. Quibus adultis, Henricum pro spe heredis militix aptavit. Fridericum apud Partbenopolim canonicæ professionis associavit. Sub eodem tempore Pala-*
C 2 tinum

tinum Fridericum, Comitemque Ludovicum fidelium suorum interventus reconciliavit, ingentique a vitrico accepta pecunia, nonnullis prædiis hujusque (Gozecensis) Ecclesie Advocatia se Palatinus abdicavit. — Fridericus Palatinus internorum incisione infirmatus — apud Ziggilsted moritur, & Ottonis Antistitis imperio Halberstad sepelitur. In diplomate Lotharii Regis anno CIO CXXIX. Goslariæ dato (quod habetur in Appendice Antiquitatum Brunsw. Maderi num. XV. Fridericus hic IV. vocatur Palatinus de Putelendorf. In eodem testis est Fridericus Palatinus Comes de Somerischenborg.

XXIX. Henrico, Friderici IV. filio, ante diem decedente, frater ejus FRIDERICVS V. vitæ monasticæ valedicens, uxorem ducit Sizzonis Comitis filiam: ex qua Sophiam Hermannio Thuringiæ Landgravio nuptam genuit. Illa dimissa instinctu Nortberti Magdeburgensis Archiepiscopi, redit ad monasticen.

Idem Scriptor: Agnetis Palatina filius Henricus puer moritur, & apud Sulze (sic lego pro Sülze) tumultatur. Vnde Fridericus frater ejus germanus de monasterio fraudulenter extractus, gladio accingitur, cuique Sizzonis Comitis (Kefernbergici: uti puto:) filia desponsatur. — Sub eodem tempore (anno CIO CXXXIV.) hortatu Northerii (rescribendum Nortberti) Archiepiscopi, Dominus Fridericus Agne Palatina filius rebus militaribus exuitur, & Parthinopolim rediens armis spiritualibus redimitur. De Sophia ex eo genita ad thesin XXXIV. dicemus.

XXX.

XXX. Tantum de familia Gozecensi. Succedit 1134.

SOMMERSCHENBURGIA. Ex hac FRIDERICVS I. sive Senior, Alberti & Vdæ Palatinæ filius, excluso, ut diximus, Friderico IV. Gozecensi, Palatinatu Saxonix ab Henrico IV. auctus; sed ab Henrico V. eodem exutus, huic rebellavit, Lothario Saxonix Duci in pugna ad Welpphonis saltum opem ferens anno C10CXV. Mortuus est anno C10CXX. relicto ex Mechtilde, præter trigam filiarum, Friderico II.

Quia Henricus Meibomius senior in *Chronico Marienbalensi* de hac familia exacte egit, nobis hic licet esse brevioribus. De patre Friderici Alberto, ita Appendix Chronici Montis Sereni: *Odam* (Friderici I. Comitis) *filiam Adelbertus quidam nobilis, cognominatus Seveke de Summerscheburg accepit uxorem, genuitque ex ea Fridericum Comitem Palatinum seniore.* Quod hic ab Henrico V. Palatinatu Saxonix fuerit exutus, constat ex libello de fundatione cœnobii Bigaugiensis: *Henricus Rex, inquit, privavit dignitatibus suis Episcopum Halberstadensem, venerabilem Reinbardum, Comitem Palatinum de Sommersteborg — substituitque pro eis alios sibi faventes.* Sed quem pro Friderico substituerit, nondum mihi est compertum. Christianus Franciscus Paulini, doctissimus Medicus ac Historicus in *Mss. Annalibus Hayesburgensibus* iras Henrici V. & natum inde Palatinum infortunium refert in *Fridericum II. sive Junio-*rem. Pugnx illius ad *Welpheholt* multi meminerunt, ac singularem de eo libellum concinnavit Spangenbergius.

gius. Fridericum pristinae Regis gratiae restitutum, sed paulo post mortuum, cum fabula de damnatione ejus, his verbis refert Conradus Abbas Urspergensis: *His temporibus Fridericus Palatinus Comes, qui nuper se a ceteris dissocians Regis fidelitati devinxerat, obiit jam prope aetate: Et, ut cuidam servo Dei evidenter revelatum affirmant, ad loca poenalia fertur descendisse.* Meminit etiam emortualis anni Epitomator *Chronici Bigaugiensis: Epitaphium saxo incisum in choro templi coenobii Hamerslebiensis, quod anno CIOCVIII. condiderat, superare, scribit laudatus Meibomius: qui & de filiabus Albeide, Juditha & Agnete agit.*

XXXI. FRIDERICVS II. sive Junior, aliquot coenobiorum Advocatus, & Marienthalensis haut procul Helmstadio fundator, Lotharii Regis in variis comitiis, atque expeditionibus nonnullis comes, anno CIO XLVII. bello sacro contra Slavos interfuit. Decessit anno CIO LXII. susceptis ex Luitgarde Brandenburgica, sed ob consanguinitatem dimissa, Adelberto & Adelheide Abbatisa Quedlinburgensi.

Hæc summa est eorum, quæ fuse disseruit, ac elegantibus digressiunculis illustravit Meibomius. Quod bello illi sacro nomen dederit, testatur Chronicon Montis-Sereni. De matrimonio & divortio Albertus Staden-
sis: *Lutgardim duxit Fridericus Palatinus de Sommers-
genburg, Et genuit ex ea Albertum Palatinum. — Item
Abbatissam de Quidelingeurg. Tandem ratione propin-
quitate Lutgardis separata a Palatino.* Ex eodem disci-
mus

mus annum fatalem. Diem addit Meibomius *XIV. Kal. Junii.* Quiescit in choro Marienthalensi. Sepulcro incisa est imago ejus imberbis & cataphracta, cui hi adscripti versus epitaphii:

*Felix sit Christe coeli cum civibus iste,
Vallis fundator Maria, virtutis amator,
Prudens, magnificus, fidusq; Comes Fridericus.*

XXXII. ALBERTVS primum inter Henrici Leonis adversarios non postremus, post contra Ulricum Halberstadensem Episcopum socius, obiit anno CIOCLXXVIII. nullis ex Luitgarde Hennebergica relictis liberis.

De hoc Alberto iterum legendus Meibomius, & si (quod opto) prodierint, in laudatis *Annalibus Huyesburgensibus*, D. Paullini. De ejus matrimonio Albertus Stadenensis ita: *Albertus Palatinus (Friderici filius) duxit filiam Popponis de Hinnenberck, & mortuus est sine prole.*

XXXIII. Ab Alberti obitu Palatinatum Saxoniae non minus, quam Sommerschenburgensem Comitatum sibi vendicat HENRICVS LEO. Sed cum Alberti soror Adelheidis Comitatum venderet Wichmanno Archiepiscopo Magdeburgensi, res ad arma devenit.

Fata Comitatus Sommerschenburgici repetere, non est hujus loci, & pleraque jam occupavit industria Meibomiana. Henricum Leonem *Palatini Saxoniae* titulo usum, testantur aliquot ejus diplomata.

XXXIV.

1180. XXXIV. Henrico Leoni unā cum Ducatu etiam
Saxoniae Palatinatus abjudicatur: & hic qui-
dem a Friderico I. Imp. redditur LUDOVICO,
sive, ut alii volunt, fratri ejus HERMANNO,
Landgravio Thuringiae, Sophiae Palatinae ma-
rito.

Chronicon Montis-Sereni an. CIÖCLXXX. *Ludovi-
cus Landgravius Turingiae Comes Palatinus effectus est.*
Chronicon Bigaugiense: *Ludovicus Comes provincialis,*
(adde *Palatinus*: quæ vox deest) *efficitur loco Adelberti de*
Sommeristborch/ qui sine herede obiit. Variloquus An-
tiquitatum Erfordiensium Ms. ad an. CIÖCLXXXII. *Impera-
tor rediens de Saxonia generalem curiam circa festum S.*
Martini Erffordia indixit, & consummavit. *Vbi Comes*
*Hermannus frater Ludovici Landgravi Palatinus Saxo-
niae efficitur.* Pro Hermanno quoq; , quem & Arnoldus
Lubecensis *Palatinum* vocat lib. II. cap. XXX. & XXXV.
militant Auctor de Landgraviis Thuringiae, Engelhu-
sius, & ex junioribus Spangenbergius, Fabricius, Büntin-
gius. Forte igitur primum Ludovico, sed post, eo con-
sentiente, Hermanno Palatinatus fuit creditus: quem ali-
quamdiu ALSTEDII sedem habuisse, Spangenbergius af-
firmat. Hermannum Sophiae Palatinae, Friderici V. Go-
zecensis unigenitæ maritum fuisse, discimus ex Auctore
de Landgraviis Thuringia cap. XXIX. & seq.

1247. XXXV. Prima Landgraviorum familia in HEN-
RICO novo Germaniae Rege Friderico II. Imp.
opposito anno CIÖCCXLVII. extincta, cum
Landgraviatu, Palatinatus Saxoniae ad HEN-
RICVM

.VIXXX

RICVM Marchionem Misniae pervenit :
qui una cum posteris hac dignitate tituloque
sunt gavisi.

Siffridus Presbyter Misnensis : *In isto (Henrico) defecerunt isti nobiles Principes Thuringiae, qui de prosapia Caroli Magni Imperatoris originem traxerunt. Tunc Marchio Misnensis Henricus Thuringiam & Saxoniam Palatinatum sibi usurpat. Quod ipse posteriq; usque ad Fridericum Bellicosum, Saxoniam Electoratu inactum, Palatinorum Saxoniam Comitum titulum prætulerint, varia testantur diplomata. Quid? quod vivente & expetente Henrico Landgravio, tam de Landgraviatu, quam de Palatinatu Saxoniam, certam spem Henrico Marchioni fecerit Fridericus II. Imp. diplomate anno CIOCCXLII. Beneventi dato : ex quo nonnulla repetemus. Considerantes avunculi tui, Henrici Landgravii Thuringiae, Comitum Palatinorum Saxoniam dilecti consanguinei nostri -- petitionem -- notum esse volumus universis, quod tibi post mortem avunculi tui Henrici Landgravii Thuringiae, duos Principatus suos, videlicet Landgraviam Thuringiam, & COMITIAM PALATII SAXONIAE, & omnia alia feuda, quae a nobis & imperio tenentur, cum ipsorum pertinentiis jure contulimus feudali.*

XXXVI. Eodem tamen titulo quandoque
usi Duces ac Electores Saxoniam ex Alberti Vr-
si prosapia descendentes. Carolus quoque
IV. in bulla Francofurti anno CIOCCCLXXVI. 1376.

D

data

2
data eundem Alberto Ottonis filio, Wenceslai patruo, ejusque legitimis hæredibus masculis tribuit, si Wenceslaus sine ejusmodi hæredibus vita excederet.

Quandoque, non semper, hoc titulo usos, jam Excell. Schurtzfleischius in *Notis ad Michaelis Bojemi Vitam Alberti II. Saxonie Ducis* observavit. Impetravit autem Palatinatum Saxonie Albertus II. qui Rudolphum Habsburgicum suo suffragio Regem Germanie renunciaverat. Bullam illam Caroli IV. exhibet Freherus in *Commentariolo ad cap. VII. Aureæ Bullæ de Successione Principum in Primogenitis, & heredibus eorum*. Verba hæc sunt: *Si vero præfatum WENCESLAVM, modernum Saxonie & Luneburgensem Ducem, sine legitimis masculini sexus hæredibus laicis, de lumbis ejus directæ lineæ genituræ descendentibus mori contingeret, ex tunc Principatus, & COMITATUS PALATINVS SAXONIE --- ad illustrem Albertum, filium Ottonis quondam Ducis Saxonie & Luneburgensis modernum, patrum dicti Wenceslai Ducis Saxonie & Luneburgensis, & ad legitimos ejus hæredes masculini sexus, laicos duntaxat, devolvantur.*

XXXVII. Ex quo vero vetustum Electorale stemma Saxonicum desiit, ac Electoralis dignitas in FRIDERICO BELLICOSO ad Thuringie Landgravios Misnieque Marchio

chiones anno CIOCCCCXXV. devoluta, Sa^m 1425.
xoniae quoque Palatinatu, ac veteri Palatina-
tus sede ALSTEDIO eosdem auctos esse
certum est.

Sic enim habet diploma Sigismundi, Budæ in Vn-
garia datum: Und haben/ als wir in unser Kö-
niglichen Majestät zu Ofen gezieret saßen/
— den vorgenannten Friederichen zu dem
vorgenannten Churfürstenthumb gewürdi-
get — mit sampt der Chur und Erzmar-
schalck Ampt dazu gehörend / und auch sonsten
mit d' Pfalk/ Haus und Stadt Alstedten
— — gnediglichen / und mit solcher Zier-
heit / als denn sich gebühret hat — verliehen.
Neque tamen semper Alstetum possederunt Palatini Sa-
xoniae: siquidem Spangenbergius in *Chronico Quer-
furtensi* lib. III. cap. XVI. observavit, Burchardum
VIII. Dynastam Querfurtanum, ejusque filios, sæculo
exeunte XIII. Alsteti dominos fuisse: ac credibile est
admodum, pignoris loco a Palatinis accepisse.

XXXVIII. Palatinatus igitur Saxonicus una
cum ALSTETO mansit in manu Ele-
ctorum Saxoniae Ernestinae lineae: ac ad Al-
berti-

bertinam quoque superiori saeculo devenit.
Sed ALSTETENSIS urbs ac praefectu-
ra mox ad Ernestinam rediit, & in ea ad
Altenburgensem, atque hac extincta, ad Vi-
nariensem, Ducemque BERNHARDVM
ejusque filium JOHANNEM WIL-
HELMVM Juventutis Principem, (quem
DEVS servet!) transmissa est.

Hac, quia non ad ANTIQVITATES, sed ad
recentiorem Alstetensem spectant historiam, disertius
explicare, nunc non est nostrum. VIGEANT AC
FLOREANT ALSTETENSIA SVB IN-
CLYTO RVTA SAXONICAE
TEGMINE.

SOLI DEO GLORIA.





Non eget unquam virtus testis
idonei, nec solet contabescere
inertiâ. Neq; Tu, Politissime
STOCKMANNE, vanum specimen, nec
dubiam das spem magnæ indolis. Et
cùm Te in defendenda disquisitione
historica esse audio, major, an utilior
à te res suscepta, nescio. Rem, quam
agis, feliciter age; cùm studiorum ob-
lectamenta in historiis esse putem. Sed
cùm hæc tempora intueor, doleo, ele-
gantiora studia tam frigidè coli, &
permultos superiorum Facultatum
non nisi mancipia esse. Benè Lipsius:
Ut montium altitudo procul non ap-
paret,

E

paret,



paret, sed cum accesseris: non item
Philosophiæ splendor, nisi cum per-
noris. *Constanti ergo animo non tan-
tùm Philosophica studia ama; sed &
cottidiè ad fctos ingenio, doctrina,
fama præstantes audiendos, quod ad-
huc egregiè facis, ventita. Sic trium-
phali lauru redimitus tempora no-
men tuum adscribes Superùm cho-
ro. Interim ad quascunque oras ac-
cesseris, confide, me Tui amantissi-
mum fore ac studiosissimum. Vale.*
Jen. d. 28. Novembr. 1687.

T.

PETRVS Müller/ D. Pandect. Prof.
& Colleg. Jurid. Decanus.

Quid

tem
per-
tan-
d &
ina,
lad-
um-
no-
cho-
s ac-
isfi-
le.

Quid juvat in Sparta Romaeq; inquirere gesta,
Si Germanorum maxima facta jacent
In tenebris? igitur hinc, mi STOCKMANNE, laboras
Ut status antiquus luce sua radiet.
Saxoniae Comitum pro maiestate palat
Regalis quorum dicere jura fuit.
Atque ipse ut quondam dicendis juribus amplum
Accipias nomen, ex animo voveo.

*Viri Optimi ac de Ecclesia CHRISTI optimè meriti
filio amulo gratulatur.*

PRÆSES.

DE Patriæ laus est non ultima scribere fatis,
Illius & memori condere gesta stylo.
Scilicet hoc parilis virtutis, parta tueri:
Præmia Mnemosyno, quam cumulare novis.
Hinc, STOCKMANNE, parum non nostra palatia debent
Saxoniae scripto nomine req; Tuo,
ALSTETI veteres variosq; ab origine vultus.
Quo cupidis veri sistere ritè studes.
Fac has primitias studiorum plura sequantur
Signa, quibus Patriæ spesq; Parentis ovet.
Et Tibi tantorum mox dulce malagma laborum
Magma secuturum prosperitate fluet.

*Ita ingenuâ gratulatione auguratur, non vana amicis firmis
mente & manu spondens conatibus honestissimis:
Nobil. & Pereximii Dn. STOCKMANNI*

PAULUS HENRICH TILEMANN, D.
sub Tutela Serenisf. Vinar. Serenisf.
Principis Saxo-Jenensis Præfectus ve-
teris, quod Alsteri est, Sax. Palatii.

ut

Prof.

Quid

UT semper præstare queunt antiqua novellis
Pubem canities ceu superare solet;
Sic alios STOCKMANNE! Tuum conando relinquit
Ingenium, antiquis dum monumenta paras.
Perge modò in stadio, priscisq; recentia misce,
Sic in fronte novus sæpe virebit honos.

Affectum suum Nobilis. Dn. STOCKMANNO
testaturus hæcce scribebat

JOACHIM SEEFEREN.
J. U. Dd.

Dum Themidos sacræ, & Sophies gnavissime cultor,
Antiquæ patriæ facta vetusta refers.
Gretulor ex animo, prosperrima cuncta peroptans,
Apprecor & cœptis prospera multa tuis.
His adsit, referatque TIBI venerabile Numen
Pro meritis istis digna brabea bonis:

*Hæc in honorem Nobilis. Dn. RESP.
scribebat*

BURCARD GOTTHELFF STRUVE,
Vinariensis.



ic

NNO

or.

tor,

IVE,





Ya 42

ULB Halle 3
004 973 585



70





ALSTET
PALATINATVS

CASPARE SAC

HIST. PR
Publico exami

D. Dec
GODOFRED V
Bavaro - Num

LITERIS JOHANN.
A. CIO ICC

